

No. 185. 1398.

Das Kloster verpflichtet sich auf Grund einer Stiftung des Chorherrn Petrus Wedmar das Fest der h. Barbara jährlich zu feiern.

Nos Johannes divina miseratione praepositus, Nicolaus prior totusque conventus canonicorum regularium monasterii sancti Thomae in Lipczk tenore praesentium notum facimus universis, quod nos attendentes utilitatem profectum et commodum nostrum ac totius monasterii praedicti matura inter nos deliberatione, sano consilio nec non voluntate omnium nostrorum praehabitis tres solidos latorum grossorum Friburgensis monetae super pratum nostri monasterii in longitudine duorum agrorum situatum penes antiquam praeposituram pro IX sexagenis latorum grossorum monetae praedictae suis duris laboribus quondam acquisitis nobis integraliter persolutis dilecto fratri nostro domino Petro Wedmar tempore perpetuo vendidimus, qui quidem dominus Petrus frater noster dilectus divina gratia allectus benivole et voluntarie pro animae suae remedio dictos tres solidos super pratum praefatum comparatum dominis de conventu nostri monasterii donavit contulit atque dedit eosque eis libere resignando, sic quod primo et principaliter domini praedicti nostri monasterii tollere debeant mediam sexagenam in festo sancti Michaelis isto anno et sic deinceps anno quolibet sequenti et perpetue, ut saepe dicti domini conventus nostri monasterii et successores sui historiam sanctae Barbarae singulis annis perpetuis affuturis temporibus in sanctae Barbarae festo in ecclesia sancti Thomae ad omnipotentis dei laudem et ad gloriosissimae virginis Mariae nec non sanctae Barbarae virginis et martyris gloriosae honorem debent et tenentur sine contradictione ac negligentia qualibet decantare, alios autem sex grossos residuos de praefatis tribus solidis super praefatum pratum nostri monasterii emptis et comparatis in praedicto festo sancti Michaelis illi duntaxat domini conventus nostri monasterii tollere percipere et levare debeant, qui festi praefatae virginis sanctae Barbarae martyris gloriosae interfuerint matutinis, effectus quolibet strepitu contradictionis quiescente. Volentes igitur et favorabiliter annuentes, ut ipsius dilecti fratris nostri donatio sive ordinatio inviolabiliter perseveret, promittimus pro nobis nostrisque successoribus bona fide omnia et singula superius expressa rata tenere atque grata nec contra ea venire verbo vel opere quovismodo, atque reverendo in Christo patri ac domino domino Henrico Merseburgensis ecclesiae episcopo supplicavimus, ut eandem donationem sive ordinationem auctoritate sua dignaretur confirmare et banni sui sententia roborare harum quibus nostrae praepositurae et conventus sigilla sunt appensa testimonio litterarum.

Et nos Henricus dei gratia episcopus Merseburgensis ecclesiae praefatam donationem sive ordinationem ratificamus et approbamus et districte praecipiendo mandamus, ne quis dictam donationem sive ordinationem violare aut eam infringere quovismodo praesumat etc. Si quis autem infringere praesumat a sollempniis divinatorum sit suspensus etc. In quorum omnium et singulorum testimonium et robur sufficiens